



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

6. Cognito & amor infinitatis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

Aspirationes.

I. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens: qui est, qui erat, & qui venturus est. Apoc. c. 4. 8.*

II. *Te credo, Te spero, Te laudo, Te amo, adoro ac benedico, Sine deformitate perfectum, sine quantitate magnum, sine qualitate bonum, sine tempore sempiternum. S. Aug. Med. c. 12.*

III. *O Deus æterne! da ut ita Te cognoscam ac diligam in tempore, ut facie ad faciem videam & diligam Te in æternitate.*

P A S S U S VI.

Cognitio & Dilectio Infinitatis,
seu infinitæ magnitudinis
DEI.

T E X T U S.

*Magnus Dominus, & magnitudinis ejus non est finis.
Psal. 144.*

Cognitio.

I. **T**UA, ñ agne Deus, essentia & natura est omnimodè infinita. Nam magni-
tu-

rudinis tuæ non est finis. Magna est terra & mare, tot millena milliaria complectens; sed millies major est aër; & millionies majus est cœlum: at quid omnia ista, si tecum componantur? Non nisi guttula, arena, atomus. In Te tanquam causa foecundissima, infinita continentur genera, species individua, Angelorum, hominum, animalium, plantarum, metallorum, lapidum, gemmarum, colorum, odorum, saporum, urbium, palatiorum, templorum; & quidquid mens angelica vel humana excogitare potest.

II. Quemadmodum, mi Deus, essentia tua est infinita; ita quoque omnia attributa tua sunt infinita; longitudo tua est infinita, quia est æterna: latitudo tua est infinita, quia est immensa: altitudo tua est infinita, quia est inaccessibleis: profunditas tua est infinita, quia est incomprehensibilis. Potentia tua est infinita, sapientia est infinita, bonitas, pulchritudo, misericordia, justitia, & reliqua omnia sunt infinita.

III. Tu etiam, Deus immense, es absolute infinitus; quia tamen omnia illa, quæ in tua essentia, sapientia & potentia continentur, foris existent, Tu tamen fores infinite major, excellentior, sublimior, pulchrior, amabilior; imò omnia ista, comparatione Tuæ, forent instar nihili: es

enim Pelagus essentia immensum. S. Greg.
Nazian.

Dilectio.

Propterea , ô magne Deus ! amo Te,
& magis amare Te desidero : quia Tu cœlo
& terra , omnibusque in eis contentis ac-
ceptior mihi es & amabilior. Tu es Deus
magnus , & immensæ majestatis, cujus in-
tuitu, reliqua umbra sunt & puncta ; Tu es
oceanus infinitus essentiæ, bonitatis & bea-
titudinis, omne esse & omne bonum in Te
concludens, & ab æterno eminenter antici-
pans & præhabens, tanquam fons totius en-
titatis. O quis te non diligat !

Tu es fundamentum possibilium om-
nium, omnium principium, omnium finis,
Conditor, sustentaculum, locus, ævum,
duratio, terminatio, ordinatio, connexio,
concordia, consummatio. O cujus cor,
licet ferreum, Tu ad Te non rapias, ô
cordium magnes immense ?

Tu es omnis gloria & dignitas, omnis
thesaurus & opulentia, omnis voluptas
& consolatio, deliciæ, gaudia, beatitudo,
*Deus cordis mei & pars mea, Deus in æter-
num !* Et ego non diligam te, & complectar
in æternum ?

Aspirationes.

1. O Deus magne & infinite ! *Quid mihi*

est

est in caelo, & à Te quid volui super terram?
Pfal. 72. 24.

II. Amo Te; Magnus enim es Tu, Domine Deus meus, & immensus, nec est finis magnitudinis tuae. S. Aug. soliloq. c. 21.

III. Nil magnum, nil altum, nil gratum vel acceptum sit tibi, nisi purè Deus, aut de Deo sit. Thom. Kemp. L. 2. c. 5.

PASSUS VII.

Cognitio & Dilectio omnipotentiae Dei.

TEXTUS.

Terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia eius. Eccli. 43. 31.

Cognitio.

I. **TU** mi Deus potentiae es infinitae, quae potes omnia, quae mens creata potest concipere, infinitos caelos, mundos, angelos, populos, aurum, argentum & lapides pretiosos, his similes aut dissimiles. Omnipotens manus tua semper una & eadem creavit in caelo Angelos, & in terra vermiculos;